

*Bibliothèque numérique*

**medic@**

**Audirac, Jacques-Joseph - candidat /  
Adet, Pierre-Auguste - président. - An  
Turundarum intromissio Pectoris  
Vulneribus noxia ?**

**1790.**

***Paris : Typis Quillau,  
Saluberrimae Facultatis  
Medicinae Typographi  
Cote : ms 2337a n°189***



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé  
(Paris)

Adresse permanente : [http://www.biusante.parisdescartes  
.fr/histmed/medica/cote?ms02322\\_ms02337ax17x0189](http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax17x0189)

135  
DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUÆ,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

BIBLIOTHEQUE  
MÉDICINE  
PARIS

QUÆSTIO MEDICO-CHIRURGICA,

QUOD LIBETARIIS DISPUTATIONIBUS

*manè discutienda in Scholis Medicorum, die Martis secunda  
mensis Martii, anno Domini M. DCC. LXXX.*

M<sup>o</sup>. PETRO-AUGUSTINO ADET, Doctore Medico, Præside.

*An Turundarum intromissio Pectoris Vulneribus noxia?*


I.

**E**A est corporis humani conditio, ut luctantem sub vicinâ morte trahat vitam. Quæ in humanæ gentis commodum ac salutem dedit ALTISSIMUS in ipsius detrimentum sæpè vertuntur: ex his ingens sævit morborum cohors. Præterea homo ipse hominis adest ubique hostis infensissimus; ex ipsorum discordiâ, innumeræ armorum species sunt instructæ; unde vulnera & plagæ omnis generis sobolescent, quibus concretorum ordo fluidorumque mistio penitus turbantur. Morborum, vulnerum præsertim, medicatrix Natura, illata sibi damna refarcire quâvis arte habilior, tenuium ac glutinearum fibrillarum subtemen (nullâ viam monstrante disciplinâ) suomet consilio effingit; quæ coeûntes agglutinantur, & retis, haud abfimilis anarearum telæ, speciem exhibent. Mira hæc staminum positura, vacuum parti cuilibet, à glande plumbeâ, acinacis acie, vel gladii cuspide inflictum sensim rependit. Sic excisam, obtritam, abrep-tamve partium substantiam utcumque restituit Naturâ, balsâmo unguinoso, quo ipse sanguis scatet. At, hujusce operationis repagula quæque removeantur; cito tunc, felixque sequetur sanatio. Hoc Naturæ opus non stupet qui humanæ compagis artificium curiosâ sagacitate sæpè retexit, & ob oculos habet mirandam illam villorum intertexturam, commodatitio labore occillantium, humoribusque motu perpetuo circumquaque agendis aptissimam. Nihil in eâ præter liquores & canales videre est. Concreta, necessario fluidis associata vinculo, mutuam sibi ferunt opem. Elatere gaudent illa; liquorumque adventu, quos libenter admittunt, dilatantur; necnon admissio ponderi repugnant, opportune flexilia. His amborum repetitis ictibus, legitimi exercentur motus; ex quibus manant, functionum stabilitas, secretionum ordo, excretionum libertas, nutriticii laticis integritas, felixque instaurantis balsami ad vulnera appulsus.

II.

**V**ULNERIS nomine, venit, intelligenda recens, ac cruenta continui solutio in parte molli, ab externâ causâ. Pro variâ vulnerantis instrumenti qualitate & quâ infligitur, vi; pro vulneris naturâ, modo, figurâ; innumeræ exstant differentiæ. Pro diversâ læsarum partium conditione, majori, vel minori symptomaticum ferocitate; levia, periculosa, lethalia dicuntur. Sic à Pectoris Vulnere, ubi

A



penitus penetravit, periculum imminere quidem præsentissimum, suadet partium, quæ in Pectore continentur, ad vitam necessitas. Si à telo oriatur acie, aut acumine instructo, quod cadendo, pungendo, cutem tantum aperiat, nullâ ab eo factâ carniû jacturâ, nullo ingruente gravi symptomate; Vulnus simplex audit. Si à ferro refecetur arteria vel vena intercostalis; prætermo- dum sanguinem evomet. Si impactum corpus penetret profundius; pulmonum substantiam, præcipuaque vasa, ex quibus erumpens sanguis per os expuitur, fauciat. Si denique ex catapultâ magno impetu vibretur glans plumbea, quæ Pectus trajiciat; hæc Pulmonem subit, ingentemque substantiæ dilacerationem, necnon nervorum, tubulorumque divortium toto tractu secum invehit. Insuper, vasa sanguifera non modò dilaniat, sed & laceratorum ductuum extrema ita retrahit, ut inter se recondantur ac constringantur; unde in illis pressu angustatis, & laciniarum collapsu occlusis, defixus sanguis hæret. Sic patentia vasorum oscula occluduntur: sic præpeditur purpurei laticis fuga. (Hoc hæmorrhagiæ impedimentum moram melius dixeris: *escharam* appellant.) Qui sine motu, in fauciorum tubulorum extremis, torpet sanguis; crescente vicinarum arteriarum systole; fuscitato calore, excitatur: mox sese expedit subtilior ejus pars, quæ blandè inter fibras serpens, depressas erigit & explicat, rigidis amissam flexilitatem restituit. Instat à tergo novus humor, qui, repetitis arteriarum ictibus protrusus, idem iter legit; facto impetu fores molitur. Unde subsilientis per apertas arterias cruoris egressus (*eschara* allapsum vocant) compefcendus, eò promptius, quò patentium vasorum diameter major.

### III.

**I**N plerisque vulneribus, Natura per se sola, totum cicatricis opus perficit. Qui è vasis erumpit, cogitur in grumos sanguis; vitæ rivulos comprimit compressos vasorum fines præterlabitur subtilior ejus portio; hæc quæ inter fibras explicatur, in majorem sensim crescit molem. Tumor, calor, dolor, ex sanguinis stagnatione, qui mille concussus vicinarum arteriarum verberibus, aliam naturam, alium colorem induit, ac Puris nomen adipiscitur. Emollitæ sensim ac putrefactæ vasculorum lacinie liquantur, in fistulosâ vulneris cavitate stilant, puris copiam adaugent. Jam inceptam suppurationem promovet citius respiratio. Dum, expellendo spiritum, constringitur Pulmo nocivas concutit succos, digerit, maturat, in vulneris concavum abigit; & purulentum liquamen ita premit, ut illud ex suo specu eliminet. Sic expressus strenuè Pulmo, eâ, quâ turgēbat, colluvie exoneratur. Ubi circumambientibus Costis firmiter adhæret, eo latere quo vulnus fuit inflitum; facilior est puris ad vulneris ostium appulsus; illudque latius explicatum, lineo tomento, molli, ac perfundi idoneo opertum, materiæ purulentæ viam aperit, cujus lapsum juvat respiratio. Persistit illud puris fluentum; donec singulos meatus, quibus oræ vulneris alluuntur, obstructione liberatos permeet sanguis. Natura nostrum miserta, ad vitæ tutamen, Pulmonem distinxit in duas partes, diversis cavitatibus locatas, ne serperet labes ad totum viscus. Sic suas facilius expandit alas, unâ læsâ, altera superstes. Pleuræ quandoque adnascitur, fibroso nexu, unus aut altor Pulmonum lobus. Ubi nec pleuræ, nec Costis adhærescit pars affecta; tabum ceteraque quæ ex extremis vasorum foraminulis effluunt, singulis expirationibus Diaphragma irrepunt. Dum Pulmones aëre vacui decrescunt, subsident, à Costis & externo vulneris hiatu removentur. Tumidi verò expanduntur, utramque Thoracis cavitatem opplent, & sparsos in septum medium humores stringunt fugantque. Fugientibus nullus patet egressus: elasticâ fibrarum vi, velut manu comprimente abacti, ad vulneris aperturam refluere coguntur; & ægro decumbente in eo situ, quem præscribit apta puris emissio, determinantur foras. Jugiter affluente pure,

à Diaphragmate abit iniqua moles : laxatæ Pulmonum fibræ jam robur accipiunt : spiritus , qui prius quasi sopiti videbantur , jam vegeti & alacres , superflui humoris reliquias resolvunt & dissipant : villi qui , ad refarciendum substantiæ dispendium , extendi nati sunt , liberiori nutritiæ laticis adventu , quaquaversum elongantur & undique silvescunt , reciproca ineunt fœdera , tenaciter copulantur : illorum mutuo congressu , cicatrice vulnus obducitur.

## I V

**Q**UÆ linamentis chirurgicis imperitè replentur vulnera , infestâ mole opprimuntur , cujus durities subsilientium vasculorum parietibus renititur. Ex illâ compressione , quot imminent vulnere pericula ? quot cicatrici nectuntur impedimenta ? Fluentis sanguinis , ac lymphæ progredientis vasa coarctantur ; liber utriusque fluidi impeditur motus ; congeritur succorum agmen ; crescit in immensum tumor ; molesto pondere urgetur Pulmo ; spiritus ægrè ducitur ; undique ingravescit dolor. Eâdem ratione , vividius feriuntur nerveæ fibrillæ ; adaugetur arteriarum renixus ; intenditur calor : accenditur febris ; augefcit inflammatio. Fluidum hærens , majori vasorum , quibus undique circumcluditur , pulsatione subactum , puris naturam induit. Ast Turundarum intromissione , tam exiguus datur exitus ( ni omnis denegetur ) ut foras amandari nequeat. Faciliorem tunc rapit viam ; versùs loca , quibus minor est resistentia , fertur ; necnon per interstitia Pulmonum cellulosa invehit sese insolentiùs , quæ pondere atque acredine dilacerat , & millena exedendo vasa , efficit ulcuscula. Sic putrescit , sic fœdescit Pulmonum substantia , eò faciliùs , quò mollior rariorque. Hinc , levi momento serpit lues , quæ citiùs in sphacelum degenerat. Sin minùs , spiritum recipiendo , quicquid Naturæ vi ex vasorum carceribus expellitur , explicatis ac instar folium inflatis vesiculis , resorbet ; & vicissim , ipsis concidentibus , in septum medium refundit , si Costis non adhæreat. Impellens à tergo humor cogitur eandem calcare viam ; affluentis puris molestissimâ sarcinâ obruitur Diaphragmatis elater ; vaneſcunt pulsus ; languet respiratio ; suffocatio imminet : hinc vulnere frequenter solvendi necessitas. Singulis deligationibus mira egeritur humorum copia ; obstupescunt adstantes ; meliusculè spirat æger , sanationis fiduciâ exsultat ; sibi plaufit Chirurgus : sed credulam nimis confidentium spem eludit nova symptomatum exacerbatio. Quò frequentius expurgatur vulnus , eò largiùs scaturit purulenta materies. A deligatione ad deligationem , satis superest temporis , ut intus in Pectore subsidens illuvies excandescat , & , vi caloris , acrimoniam adſciſcat. Gravi exortâ putredine , crebrò vitia Naturæ insensissima recrudescunt , pus acre & exedens , præcordia convellit ; contigua quæque , etiam sana , rodendo , novas producit exulcerationes , quibus ingens fit sanguinis ac virium profusio : totum corpus quasi Atrophiam tandem liqueſcit & confemitur. Vel periculosam concitat phlogosin , quæ in Gangrænam , nonnisi morte terminandam , deducit. Vel ulcus denique excavatur , stygiâ puris indole sinuatur , & in callum obdurescit : sic , Turundarum usu , non citra ægri perniciem artificisque opprobrium , excuditur Fistula nullis profliganda remediis.

## V.

**E**XITIOSA adeò curandi methodus innumera secum trahit incommoda , quæ Exarari prolixius. Ruptum ex penicillis quantulumcunque fragmen in Bronchia excidat , vehementissimam provocat tussim , quæ suos patitur manes. Nec ſileo certò futuram linamenti , quantâcunque levitate ac dexteritate intromissi , jactationem ; quæ vulnere doloris sensum excitat , inflammationis prodromum accit , vasculorum contusionem infert , coëuntium fibrarum dissolutionem procreat , necnon Chirurgi turpitudinem infligit. Daturne frequentiori , ob densam symptomatum catervam , deligationi locus ? Tunc nudata tenella Pulmonum substan-

4  
 tia omnibus aëris externi telis sæpius confoditur; aër ille, repentino statim-ingressu maxime formidandus, omnes vulneris specus perlustrat, arteriarum sup-purationi inservientium naturalem motum pervertit, ac laudabilem puris tex-turam suo contactu fœdat; obnititur nonnunquam, subitaneo ac graviore impe-tu, Pulmonum expansioni; unde præfocans spirandi difficultas, ex quâ pauci admodum liberantur. Nec novi, nec ficti sunt hi penicillorum infausi eventus. Quot vulneratos præmaturæ morti tradidit vulgaris hic curandi modus? qui sospites evasissent, si eorum salus fuisset Naturæ commissa; cui committendi ægro-tantes, quos sola tutò per se sanare potest; modò omnia impedimenta, quibus divertitur in agendo amoveantur. Id ut fiat, situm, naturam, necnon adjuncta quæque vulneris perpende attentus, & explora: instrumenti, quo æger fuit sauciatus, figuram habe diligenter perspectam. His probè cognitis, quid agendum, quid non, intelliges. Leviorum vulnèrum, ex aptâ labiorum collocatione ac deligatione, cicatrix plerumque inducitur. Ubi verò altius, & cum substantiæ jacturâ, in Pulmonem penetrat vulnus; tunc necessaria est suppuratio: quæ ut tutius ac felicius promoveatur, cruoris profluvio, solito more, coercito, vulne-ris orificium exterius, si angustum, dilatetur, ut ex omni dimensione pateat: in-tus hærens corpus extraneum, si facile absque periculo possit eximi, omni indus-triâ extrahendum, si profundius lateat, dolorisque excitandi, aut vasorum lace-randorum metus moretur, ejus ejectio vi Naturæ linquatur. Nec semper te de-terreat ingens symptomatum ferocia. Si quæ affulgeat salutis spes, hæc viâ pro-fectò obtinebitur. Citior breviorque succedit suppuratio, operante Naturâ. De-pletis, tenui diætâ & venæ-sectione, vasis; in liberiores ipsorum alveum in-funditur sanguis è capillaribus; quæ, quò minùs turgentia, eum assequuntur firmitatis ac flexibilitatis gradum, quâ ad laudabilis puris generationem requiri-tur. De cetero, eadem cautiones, eadem remedia in usum vocanda, quibus alia vulnera ad cicatricem adducuntur. Hæc igitur methodo, Naturæ amicâ; absque linamentorum noxiorum incommodis, Pectoris Vulnèrum medela ob-tenetur.

*Ergo Turundarum intromissio Pectoris Vulnèribus noxia.*

#### DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Maria-Anton. PETIT.

M. Franciscus-Gaspardus DIDE-  
RON.

M. Claudius DE LAFISSE, Chir.  
gall. id. an 1778-76. Prof.

M. Philibertus BORIE.

M. Josephus-Ignatius GUILLO-  
TIN, Phil. & Path. an.  
1784-86. Prof.

M. Georgius LANIGAN.

M. Joannes-Baptista CALMÉ.

M. Bernardus-Nicolaus PLUVI-  
NET.

M. Carolus-Jacobus Ludovicus  
COQUEREAU, Phil. & Path.  
an. 1777-79 Prof.

Proponebat Parisiis, JACOBUS-JOSEPHUS AUDIRAC, Cameracensis,  
Necnon saluberrimæ Facultatis Medicinæ, Baccalaureus.

Typis QUILLAU, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Typographi. 1790.

